LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

EUPHORIONEA

SCRIPSIT

GEORGIUS KNAACK.

ANALECTA MEDICA

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS WELLMANN.

EX ANNALI PHILOLOGICO MDCCCLXXXVIII SEORSUM EXPRESSA.

LIPSIAE

FORMIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXVIII.

FRANCISCO SUSEMIHL

MAGISTRO DILECTISSIMO

DIE XXXI M. IANUARII A. MDCCCLXXXVIII

QUO ANTE HOS XXV ANNOS

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

IN ALMA UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

CREATUS EST

GRATULANTUR

DISCIPULI PIENTISSIMI.

EUPHORIONEA.

I.

Disputaturo de ratione quae Lycophronem inter et Euphorionem intercedat ecce mihi adfertur GKaibelii sententiarum liber quartus (Hermae XXII 497 sqq.), cuius capite septimo etsi omnia quae Euphorio ab Lycophrone mutuatus sit enumerare noluit v. cl., pauca tam egregie ea de re disseruit, ut vix habeam quae addam. atque vocabulorum abstrusorum copiam illum petiisse a tragico poeta obscurissimo constat: lectionis satis accuratae dabo messem, quam ab aliis auctum iri spero. vocabulorum Lycophroneorum index Euphorioneus hic esto: ἀστέμβακτον Euph. fr. 106 (plenius legitur Etym. Flor. p. 49 in Milleri 'mélanges de litt. grecque'); Lyc. 1117. — Αἴγυς πόλις Λακωνική Euph. fr. 116; Lyc. 850. — Ἀκτῆς de Attica dictum Euph. fr. 27; Lyc. 111. 1339. — Ἀλαῖος Ἀπόλλων Lyc. 916 sqq.

ὅς ποτε φλέξας θρασὺν
λέοντ' ἀφύκτων γομφίων λυροκτύπον
δράκοντι ῥαιβῷ χεῖρας ὤπλισε Σκύθῃ[1],
Κρᾶθις δὲ τύμβους ὄψεται δεδουπότος
εὐρὰξ Ἀλαίου Παταρέως ἀνακτόρων,
Ναύαιθος ἔνθα πρὸς κλύδων' ἐρεύγεται.

adnotat Tzetzes Philoctetam delatum esse in Italiam: καὶ παυθεὶς τῆς ἄλης Ἀλαίου Ἀπόλλωνος ἱερὸν κτίζει, ᾧ καὶ τὸ τόξον αὐτοῦ ἀνέθηκεν, ὥς φησιν Εὐφορίων. Ναύαιθον fluvium in Chiliadibus memoravit (fr. 41). — Βύνη Euph. fr. 91; Lyc. 107. 757. — δάνος. Euph. fr. 90 τό ῥά οἱ δάνος ὤπασεν Ἕκτωρ. Lyc. 887 Τρίτωνι Κολχὶς ὤπασεν δάνος γυνή (Medea). 269. 710. 1269. 1381. — Ζωστήριος Ἀπόλλων in Attica colitur ap. Euph. fr. 89[a], Cumis ap. Lyc. 1278. — καύηκες Euph. fr. 88; καύηκας Lyc. 425. 741. 789. — κενήριον Euph. fr. 81; κενηρίων Lyc. 370. — κόπροι de stabulo dictum (cf. Hom. C 575) Euph. 49 (de Boeoto agitur)

[1] transposuit Wilamowitzius 'de Lycophronis Alexandra' p. 14.

τὸ γὰρ καλέσαντο βοτῆρες ὅττι ῥα πατρώῃσι βοῶν ἀπεθήκατο κόπροις. Lyc. 91 (de Paride agitur) οὐ πατρὸς κόπρους στείβοντα ῥακτῶν βουστάθμων. — κρέξ (avis scaeva) Euph. fr. 4; Lyc. 512. — Κυταικὴ de Medea dictum Lyc. 174, hinc Euph. fr. 10 correxit Kaibelius p. 507. — Κυχρεῖος Euph. fr. 17; verba nondum emendata sunt, sed formam Κυχρεῖος servandam esse docet Lyc. 451 (versum Euphorionis scholiasta Lyc. adscripsit). — ὀχθηρῆς Euph. fr. 92; ὀχθηρὰν Lyc. 1030, ὀχθηρῶν 1361. — ποιφύξαντος Euph. fr. 96; ποιφύξει Lyc. 198. — πόποις (*deis*) Euph. fr. 99; πόποι Lyc. 943. — πρήνιξε (de urbis eversione dixit) Euph. fr. 16; πρηνιχθέντες Lyc. 1006. — ῥαιβηδόν (ἐν Διονύσῳ κεχηνότι Etym. Flor. p. 260); ῥαιβῷ Lyc. 917, ῥαιβοῖσι 238. — †Τυμφρηστοῖο αἰπῆς Euph. fr. 84; Τυφρηστὸν λέπας Lyc. 420 (cf. Parthenii fr. 45 Τυφρήστιον αἶπος), πάγων Τυφρηστίων 902. — χάρωνα (*leonem*) Euph. fr. 47; χάρωνος Lyc. 455. 660, χάρων 260. — ἔψικα Euph. fr. 51; ψίκεται Lyc. 639.

II.

Assidua Alexandrae lectio multo magis elucet e fabulis Euphorioni communibus cum Lycophrone. quo duce haud pauca fragmenta, quae adhuc incerta vagantur, certo carmini vindicare conabimur. a rebus Troianis initium capit Alexandra Lycophronea, fabulas Troianas saepius legimus celebratas ab Euphorione: haec igitur inter se conferenda sunt. iam videamus singula.

Lyc. 224 sqq.

μηδ' Αἰσακείων οὑμὸς ὤφελεν πατὴρ
χρησμῶν ἀπῶσαι νυκτίφοιτα δείματα,
μιᾷ δὲ κρύψαι τοὺς διπλοῦς ὑπὲρ πάτρας
μοίρᾳ τεφρώσας γυῖα Λημναίῳ πυρί·
οὐκ ἂν τοσῶνδε κῦμ' ἐπέκλυζεν κακῶν.

et 319 sqq.

ἵν' ἅλμα πάππου καὶ χαμευνάδος[2] μόροι
τῆς λαθρονύμφου πόρτιος μεμιγμένοι
σκύμνῳ κέχυνται, πρὶν λαφύξασθαι γάνος,
πρὶν ἐκ λοχείας γυῖα χυτλῶσαι δρόσῳ.

Servius ad Verg. Aen. II 32 (fr. 150)

ut Euphorion dicit, Priamus ex Arisba filium vatem suscepit. qui cum dixisset quadam die nasci puerum, per quem Troia posset everti, pepererunt simul et Thymoetae uxor et Hecuba, quae Priami legitima erat. sed Priamus Thymoetae filium uxoremque iussit occidi.

[2] cf. Euph. fr. 128 χαμαιεῦναι δὲ οἱ ἐπὶ τοῦ ἐδάφους κοιμώμενοι λέγονται παρὰ Εὐφορίωνι.

quae scholiasta sic enarrat: ἐπειδή φασιν Ἑκάβη ἔσχεν ἀδελφὴν Κίλλαν καλουμένην, ἣ ἐγαμήθη τῷ Θυμοίτῃ. Πριάμου δὲ χρειομένου ἐν Ζελείᾳ περὶ τῆς βασιλείας ἐχρήσθη αὐτῷ ἀνελεῖν τὴν νεωστὶ τετοκυῖαν καὶ τὸ γεννηθέν. ἔτυχε δὲ ἡ μὲν Ἑκάβη τεκοῦσα τὸν Ἀλέξανδρον, ἡ δὲ Κίλλα τὸν Μούνιππον. φεισάμενος οὖν τῆς Ἑκάβης ἀνεῖλεν τὴν Κίλλαν καὶ τὸν παῖδα αὐτῆς Μούνιππον. λαθρονύμφου δὲ διότι λάθρα τῷ Πριάμῳ ἐμίγνυτο, ἀφ' οὗ εἶχε τὸν Μούνιππον. ergo Cilla, Lycophronem si audimus, paelex fuit Priami, cum Euphorio teste Servio uxorem eam dixisset Thymoetae, id quod confirmatur a Tzetze, qui postquam Apollodorum (III 12, 5) exscripsit, haec addit (ad 224): ὁ δὲ Πρίαμος ἀντὶ τούτων ἀνεῖλε Κίλλαν ἐκ Θυμοίτου κρυφαίῳ γάμῳ (?) τότε γεννήσαντος Μούνιππον.[3] apparet Vergilii versus *primusque Thymoetes duci intra muros hortatur et arce locari sive dolo seu iam Troiae sic fata ferebant* hac fabula ex Euphorione petita haud inepte esse explanatos a Servio, etsi dubitare licet, num poetam Chalcidensem respexerit poeta Mantuanus. adiungimus Euphorionis fragmentum 151, quod idem Servius (ad Aen. II 79) servavit: *nec immerito Vergilius Sinoni dat et fallaciam et proditionis officium, ne multum discedat a fabula, quia secundum Euphorionem Ulixes haec fecit.* ne hic quidem deserit Lycophronem 779 sqq.:

δαψιλὴς
σφραγὶς μένει Θόαντος ἐν πλευραῖς ἔτι
λύγοισι τετρανθεῖσα, τὰς ὁ λυμεὼν
ἐπεγκολάπτειν ἀστένακτος αἰνέσει
ἑκουσίαν σμώδιγγα προσμάσσων δομῇ,
ὅπως παλεύσῃ δυσμενεῖς κατασκόποις
λώβαισι καὶ κλαυθμοῖσι φηλώσας πρόμον.

Iliupersidos quidem poeta apud Hom. δ 244 speculatorem induxit Ulixem sua ipsius manu turpiter deformatum (αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας), sed quem Helena sola nedum Priamus aliusve Troianorum agnoverit. ipsis vero Lycophronis verbis efficitur Ulixis astutia deceptum esse regem; ergo Sinonem (de quo cf. Lyc. 340 sqq.) consulto neglexit Euphorio[4], qui ne ligneum quidem equum

[3] Cillas Pelopis auriga audit, cf. quae disserui 'quaest. Phaethont.' p. 57. de Arisba egit Dionysius Chalcidensis in scholiis Euripideis ineditis apud Schwartz 'mélanges Graux' p. 652. cf. quae disseruerunt Toepffer 'quaest. Pisistrat.' p. 75, Wellmann 'comm. philol. Gryph.' p. 57 sq., ego p. 36. ceterum moneo Tzetzae commentariis uti me potuisse a Pottero Oxonii a. 1697 editis ('Lycophronis Alexandra cum I. Tzetzae commentariis cura I. Potteri'). [4] Thoas Andraemonis filius est — nam procul habendus Troianus, a quo ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα γράψας φησὶ τρωθῆναι τὸν Ὀδυσσέα . . ὅτε εἰς Τροίαν ἀνήρχοντο ⟨δυσμενεῖς add. Tz.⟩ schol. — qui una cum Ulixe certamen singulare cum Hectore subiturum se esse pollicetur Hom. H 168. socius est Ulixis Ξ 469 in insidiis contra Troianos collocatis. locus memorabilis, cui semen fabulae a Lycophrone nescio quo auctore relatae inesse credideris. Sinonis dolum indicat 340 sqq. βαρὺν πυρκὸν cave ne Antenori, quamquam etiam hic proditoris partes suscepit, tribuas, cum metaphorice dictus sit.

satis tritum commemorandum sibi esse duxit: περὶ τοῦ δουρείου ἵππου ὁ Εὐφορίων φησὶ πλοῖον γενέσθαι τοῖς Ἕλλησιν ἵππον λεγόμενον (fr. 120).[5] Aesacum Priami filium patriae vaticinatum esse excidium comperimus, excidium Troiae celebratum esse ab Euphorione non solum e fr. 120 sed etiam 153 (*hunc Coroebum stultum inducit Euphorion, quem et Vergilius sequitur* Serv. ad Aen. II 341) elucet: ergo cetera quoque fragmenta ad res Troianas spectantia carmini illius, quod modo lucrati sumus, inserere licet. sunt vero haec:

fr. 125 (ap. schol. Lyc. 266 cl. Porphyrio ap. schol. Hom. Γ 314)

Στησίχορος γὰρ καὶ Εὐφορίων καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς οἱ ποιηταί φασι τὸν Ἕκτορα υἱὸν εἶναι Ἀπόλλωνος.

fr. 126 (schol. Lyc. 658. cf. Plut. de soll. animal. 985[b])

Στησίχορός φησιν Ὀδυσσέα ἐπὶ τῆς ἀσπίδος φέρειν δελφῖνος τύπον. καὶ Εὐφορίων ὁμοίως τούτῳ συμφθέγγεται.

Lyc. 264 sq. (de Achille dicit)

τὸν φίλτατόν σου τῶν ἀγαστόρων τρόφιν
Πτώου τε πατρὸς ἅρπασας μετάρσιον.

Lyc. 657 sq.

ἕνα φθαρέντων ἄγγελον λιπὼν φίλων,
δελφινόσημον κλῶπα Φοινίκης θεᾶς.

reliqua auctoritate Lycophronis non sunt confirmata: fr. 58 (de Aeaco Neptuni Apollinisque in moenibus Troiae aedificandis adiutore), 56 (de veriloquio nominis Achillis), 61 et 81 (de Iphigenia, fr. 129 procul habendum)[6], 80 (de Tanagraeis, qui expeditionis Troicae participes esse noluerunt), 107 (de Palamede aleae inventore), 59 et 75 (de Nestore et medico Graecorum et oratore). quae si quis inter se coniunxerit reputaveritque quot versibus exprimenda fuerint, carmen, cuius perpauca fragmenta aetatem tulerunt, satis fuisse amplum mecum opinor statuet. Euphorio igitur quo iure Homericus a Cratete (AP. XI 318) vocari potuerit intellegitur, neque est quod dubitemus quin saepius vestigia Homeri presserit; cui imparem se esse ipse confessus est fr. 62 Μοῦσαι ποιήσαντο καὶ ἀπροτίμαστος Ὅμηρος.[7] sed etiam Reditus Graecorum celebravit.

fr. 55

ἦ οἱ Μούνιτον υἷα τέκε πλομένῳ ἐνὶ ὥρῳ·
ἀλλά ἑ Σιθονίης[8] τε καὶ ἐν κνημοῖσιν Ὀλύνθου
ἀγρώσσονθ' ἅμα πατρὶ πελώριος ἔκτανεν ὕδρος.

[5] hanc fabulas explicandi rationem illustravit Kaibelius p. 508. cf. Triphiodori exc. Troiae 184 εὐξάμενοι δὴ ἔπειτα Διὸς γλαυκώπιδι κούρῃ ἱππείην ἔσπευδον ἐς ὁλκάδα. [6] cf. Wilamowitzium Hermae XVIII 259 sqq. Laocoontis fabulam non fuisse celebratam recte dixit Robertus 'bild und lied' p. 209 — sed quae in Hermae vol. XXII 459 de ea re disputavit dubitationi obnoxia sunt. ergo e fr. 152 nihil memorabile colligi potest. [7] idem fere coniectura assecutus est Meinekius p. 31 (aliter Rohde 'griech. roman' p. 23, 1). [8] Σιθονίῃ Tzetzes, corr. Kaibel: genetivum verum esse e loco Hegesippi (?) mox laudando efficitur.

quae quo spectent docet Lycophro 495 sqq.

τόν ποτ' εἰς λέχος
λαθραῖον αὐτόκλητος Ἰδαία πόρις
ἡ ζῶς' εἰς Ἄιδην ἵξεται καταιβάτις
θρήνοισιν ἐκτακεῖσα, Μουνίτου τοκάς.
ὃν δή ποτ' ἀγρώσσοντα Κρηστώνης ἔχις
κτενεῖ πατάξας πτέρναν ἀγρίῳ βέλει,
ὅταν τεκόντος αἰχμάλωτος ἐς χέρας
ἡ πατρομήτωρ τὸν δνόφῳ τεθραμμένον
βάλῃ νεογνὸν σκύμνον.

Wilamowitzius quidem ('aus Kydathen' p. 138) Μουνίχου τοκὰς scribendum esse coniecit, sed refutavit eum Kaibelius l. s. s. p. 507 versibus Euphorionis imitatoris adlatis. Acamantis cum Laodice consuetudo explicatius narrata est ab Hegesippo, si dis placet, apud Parthenium (narr. amat. 16). sed novissima verba χρόνου δὲ προϊόντος γίνεται τῷ Ἀκάμαντι υἱὸς Μούνιτος, ὃν ὑπ' Αἴθρᾳ τραφέντα μετὰ Τροίας ἅλωσιν διεκόμισεν ἐπ' οἶκου· καὶ αὐτὸν θηρεύοντα ἐν Ὀλύνθῳ τῆς Θρᾴκης ὄφις ἀνεῖλεν adeo concinunt cum Euphorioneis, ut summa me subeat dubitatio, num recte margini adnotarit litterator ἱστορεῖ Ἡγήσιππος Μιλησιακῶν ⟨Παλληνιακῶν corr. Wilam.⟩ α'. an putas e verbis simplicibus tritisque χρόνου προϊόντος et θηρεύοντα ἐν Ὀλύνθῳ τῆς Θρᾴκης ὄφις ἀνεῖλεν exquisita illa πλομένῳ ἐνὶ ὥρῳ et Σιθονίης τε καὶ ἐν κνημοῖσιν Ὀλύνθου ἀγρώσσονθ' . . ἔκτανεν ὕδρος esse conformata? at Hegesippum ipsum manibus non terimus, terimus epitomen Parthenianam. audio; tamen historici orationem ampullis Euphorioneis caruisse paene certum est. accedit quod fides litteratoris illius ceteroquin probi atque eruditi non tanta est, ut omnibus locis tuto possis illi confidere. Euphorionem Parthenius saepius excerpsit, id quod litterator ipse testatus est; itaque exitum fabulae Hegesippo eripiendum, vindicandum Euphorioni conicio; de reliqua fabula quid statuendum sit salva fide grammatici dubitare licet. nam neglegenter excerpsisse Parthenium vel inde sequitur, quod de Laodices fine plane nihil comperimus. quam terra hiante haustam esse fidem facit Lycophro 316 sqq.

τὴν μὲν αὐτόπρεμνον ἡ τοκὰς κόνις
χανοῦσα κευθμῷ χείσεται διασφάγος
λεύσσουσαν ἄτην ἀγχίπουν στεναγμάτων

videturque congruisse eius imitator, siquidem Wilamowitzius ('Hom. unters.' p. 341, 12) nihil aliud inesse in Pausaniae narratione satis obscura (X 26, 8) recte statuit: is enim postquam Lesche auctore Helicaonem Laodices maritum in Nyctomachia vulneratum captumque esse narravit, in hunc modum pergit: ἔποιτο ἂν οὖν τῇ Μενελάου καὶ Ὀδυσσέως κηδεμονίᾳ περὶ οἶκον τὸν Ἀντήνορος (patris Helicaonis) μηδὲ ἐς τοῦ Ἑλικάονος τὴν γυναῖκα ἔργον δυσμενὲς ὑπὸ Ἀγαμέμνονος καὶ Μενελάου γενέσθαι. Εὐφορίων δὲ ἀνὴρ Χαλκιδεὺς σὺν οὐδενὶ εἰκότι τὰ ἐς τὴν Λαοδίκην ἐποίησε. quam-

quam in tanta testimoniorum penuria quis est qui mentem poetae assequi audeat? paulo plura de Calchante Mopso Amphilocho quales fuerint apud Euphorionem discimus.

fr. 46 (Servius ad Verg. ecl. 6, 72, agitur de Gryneo nemore)

in quo ⟨luco⟩ aliquando Calchas et Mopsus dicuntur de peritia divinandi inter se habuisse certamen, et cum de pomorum arboris cuiusdam contenderent numero, stetit gloria Mopso; ⟨prae⟩ cuius rei dolore Calchas interiit. hoc autem Euphorionis continent carmina, quae Gallus transtulit in sermonem latinum.

Lyc. 424 sqq.

Τριςςοὺς δὲ ταρχύςουςι Κερκάφου νάπαι
Ἄλεντος οὐκ ἄπωθε καύηκας ποτῶν.
τὸν μὲν Μολοςςοῦ Κυπέως Κοίτου κύκνον
ςυὸς παραπλαγχθέντα θηλείας τόκων,
ὅτ' εἰς ὀλύνθων δῆριν ἑλκύςας ςοφὴν
τὸν ἀνθάμιλλον αὐτὸς ἐκ μαντευμάτων
ςφαλεὶς ἰαύςει τὸν μεμορμένον πότμον.

certamen Calchantis cum Mopso iam Hesiodus vel quisquis fuit Melampodiae poeta versibus celebravit[9], quem, si fides habenda est Servio[10], Euphorio secutus est; Φερεκύδης δέ φηςιν ὗν προβαλεῖν ἔγκυον τὸν Κάλχαντα, πόςους ἔχει χοίρους, τὸν δὲ εἰπεῖν ὅτι τρεῖς, ὧν ἕνα θῆλυν· ἀληθεύςαντος δὲ ἀποθανεῖν ὑπὸ λύπης (Strabo XIV 643)[11], quem Lycophronis auctorem fuisse dicerem, nisi fuissent qui aliter narrarent: οἱ δὲ τὸν μὲν Κάλχαντα προβαλεῖν τὴν ὗν φαςι, τὸν δὲ ἐρινεὸν καὶ τὸν μὲν εἰπεῖν τἀληθές, τὸν δὲ μή· ἀποθανεῖν δὲ ὑπὸ λύπης καὶ κατά τι λόγιον: latet igitur auctor.[12] de Mopso et Amphilocho concinunt poetae Chalcidenses

[9] Strabo XIV 642 Ἡςίοδος μὲν οὖν οὕτω πως διαςκευάζει τὸν μῦθον· προτεῖναι γάρ τι τοιοῦτο τῷ Μόψῳ τὸν Κάλχαντα·

θαῦμά μ' ἔχει κατὰ θυμόν, ἐρινεὸς ὅςςον ὀλύνθων
οὗτος ἔχει μικρός περ ἐὼν· εἴποις ἂν ἀριθμόν;

τὸν δ' ἀποκρίναcθαι

μύριοί εἰcιν ἀριθμόν, ἀτὰρ μέτρον γε μέδιμνος·
εἷς δὲ περιccεύει, τὸν ἐπενθέμεν οὔ κε δύναιο.
ὣς φατο καί cφιν ἀριθμὸς ἐτήτυμος εἴδετο μέτρου.
καὶ τότε δὴ Κάλχαντα τέλος θανάτοιο κάλυψε.

[10] fides Servii quodam modo augetur versibus Vergilii ab illo explicatis:

hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni . . . . .
his tibi Grynei nemoris dicatur origo,
nequis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.

[11] cf. Wilamowitz 'Hom. unters.' p. 178, 22. KOhlert 'rätsel und gesellschaftsspiele der Griechen' p. 38. qui sit sensus fabularum de ficu et sue egregie explicuit VHehn 'culturpflanzen'[3] p. 512. [12] aliter Lycophro 979 a Tzetze ineptissime impugnatus, cum alium auctorem secutus sit. quem Timaeum fuisse e Tzetze ad 1047 et Etym. M. 63, 3 efficitur, adde Strab. p. 284.

Euph. fr. 50 (laudatus a schol. Lyc. et Tzetze)	Lyc. 439 sqq.
Πύραμον ἠχήεντα, πόλιν δ' ἐκτίσσατο Μαλλόν,	δοιοὶ δὲ ῥείθρων Πυράμου πρὸς ἐκβολαῖς
ἧς πέρι δηρινθέντε[13] κακοφράδες ἀλλήλοιϲιν	αὐτοκτόνοις σφαγαῖϲι Δηραίνου κύνες
Μόψος Ἀμφίλοχός τε καὶ ἄκριτα †δηρινθέντες	δμηθέντες αἰχμάϲουϲι λοιϲθίαν βοὴν
μουνὰξ ἀλλίϲτοιο πύλας ἔβαν Ἀιδονῆος.	πύργων ὑπὸ πτέρναιϲι Παμφύλου κόρης.
	αἰπὺϲ δ' ἁλιβρὼϲ ὄχμος ἐν μεταιχμίῳ
	Μάγαρϲος ἀγνῶν ἠρίων ϲταθήϲεται,
	ὥϲ μὴ βλέπωϲι μηδὲ νερτέρων ἕδρας
	δύντες φόνῳ λουθέντας ἀλλήλων τάφους.

quae bene explicat Strabo (XIV 675) eodem scilicet auctore usus atque Lycophro: . . Μαλλός . . κτίσμα Ἀμφιλόχου καὶ Μόψου τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Μαντοῦς, περὶ ὧν πολλὰ μυθολογεῖται . . τὸν γὰρ Μόψον φασὶ καὶ τὸν Ἀμφίλοχον ἐκ Τροίας ἐλθόντας κτίσαι Μαλλόν· εἶτ' Ἀμφίλοχον εἰς Ἄργος ἀπελθεῖν, δυσαρεστήσαντα δὲ τοῖς ἐκεῖ πάλιν ἀναστρέψαι δεῦρο, ἀποκλειόμενον δὲ τῆς κοινωνίας συμβαλεῖν εἰς μονομαχίαν πρὸς τὸν Μόψον, πεσόντας δ' ἀμφοτέρους ταφῆναι, ⟨ἀλλὰ⟩ μὴ ἐν ἐπόψει ἀλλήλοις. καὶ νῦν οἱ τάφοι δείκνυνται περὶ Μάγαρϲα τοῦ Πυράμου πλησίον.[14] ad Reditus denique referendum est fr. 154 (apud Servium ad Aen. III 16) *Euphorion et Callimachus hoc dicunt etiam, quod Aenum* (oppidum Thraciae) *dicatur a socio Ulixis illic sepulto eo tempore quo missus est ad frumenta portanda.* fuit Aenus frater Gunei (Steph. Byz. s. v. Αἶνος), praeterea nihil de illo viro videtur esse traditum.

Iam vero eo res est deducta, ut cuinam operi Euphorioneo Troica inserenda sint et quaeramus et diiudicemus. solvenda autem est quaestio tribus versibus incerti poetae a Plutarcho (de sera num. vind. 557[c]) laudatis, quos Euphorionis esse Lycophro docebit. et Plutarchus ita quidem disputat: ἆρ' οὖν οὐκ ἀτοπώτερος τούτων (I) ὁ Ἀπόλλων εἰ Φενεάτας ἀπόλλυϲι τοὺς νῦν ἐμφράξας τὸ βάραθρον καὶ κατακλύϲας τὴν χώραν ἅπαϲαν αὐτῶν ὅτι πρὸ χιλίων ἐτῶν, ὥϲ φαϲιν, ὁ Ἡρακλῆς ἀναϲπάϲας τὸν τρίποδα τὸν μαντικὸν εἰς Φενεὸν ἀπήνεγκε; (II) Cυβαρίταις δὲ φράζων

[13] dualem a Meinekio neglectum retineo; quod si verum est, pluralem in extremo versu sequenti corruptum esse sequitur. [14] cf. Tzetzes ad 980, ubi ex Apollodori bibliothecae parte deperdita se hausisse ipse profitetur (Wilamowitz 'Hom. unters.' p. 179, 24). aliorum testimonia nolui congerere.

ἀπόλυειν τῶν κακῶν ὅταν τριεὶν ὀλέθροις ἰλάσωνται τὸ μήνιμα τῆς Λευκαδίας Ἥρας; (III) καὶ μὴν οὐ πολὺς χρόνος, ἀφ' οὗ Λοκροὶ πέμποντες εἰς Τροίαν πέπαυνται τὰς παρθένους — sequuntur hexametri, quos una cum his Lycophronis iambis sub uno conspectu componam:

αἳ καὶ ἀναμπεχόνοι γυμνοῖς ποσὶν ἠύτε δοῦλαι
ἠοῖαι καίρεσκον Ἀθηναίης περὶ βωμὸν
νόσφι κρηδέμνοιο, καὶ εἰ βαρὺ γῆρας ἱκάνοι.

Lyc. 1151 sqq.

ὑμεῖς ἐμῶν ἕκατι δυσσεβῶν γάμων
ποινὰς Γυγαίᾳ τίσετ' Ἀγρίσκᾳ θεᾷ
τὸν χιλίωρον τὰς ἀνυμφεύτους χρόνον
πάλου βραβείαις γηροβοσκοῦσαι κόρας.

. . . .

Lyc. 1165 sq.

θεᾶς δ' ὀφελτρεύσουσι κοσμοῦσαι πέδον
δρόσῳ τε φοιβάσουσι —

de fabula ipsa ab Callimacho in Aetiis narrata disputare nolo — conferas quae dixi 'Callimach.' p. 11 sq. — recte sensisse Toupium, qui primus Euphorioni adsignavit hexametros, persuadere tibi volo. neque enim genus dicendi ab Euphorione abhorret, et imitatio Lycophronea eadem est quam propriam fuisse illi satis nobis videmur demonstrasse. hoc si constat, videamus num recte ad Chiliades rettulerit vir doctus. de Chiliadibus Suidas s. v. Εὐφορίων refert: ἔχει δὲ ὑπόθεσιν εἰς τοὺς ἀποστερήσαντας αὐτὸν χρήματα, ἃ παρέθετο, ὡς δίκην δοῖεν κἂν εἰς μακράν· εἶτα συνάγει διὰ χιλίων ἐτῶν χρησμοὺς ἀποτελεσθέντας. εἰσὶ δὲ βιβλία ε'. [ἐπιγράφεται δὲ ἡ πέμπτη χιλιὰς περὶ χρησμῶν, ὡς διὰ χιλίων ἐτῶν ἀποτελοῦνται]. novissima verba quae desunt et in cod. Leidensi et in Gaisfordii codicibus BVE uncis inclusit Bernhardy, neque equidem dubito quin addita sint ab interpolatore. is tamen legit vocabulum ἐτῶν a Meinekio ('anal. Alex.' p. 15) Heynium secuto mutatum in ἐπῶν, cum oraculorum mille annorum eventu probatorum magnam fuisse paucitatem adfirmaret. sed ut taceam hoc ipso vocabulo consilium poetae ὡς δίκην δοῖεν κἂν εἰς μακράν aptissime illustrari, quis est qui pauca fuisse talia oracula contendat, praesertim cum Plutarchus quasi praeteriens tria commemoraverit? neque est cur poetam in illis commoratum esse putemus: vaticinia ipsa occasionem longius exspatiandi docto poetae praebebant. ergo (ut dicam quid sentiam) ab oraculo Apollinis, qui Locris virginum tributum per mille annos solvendum cecinit — χιλίωρον χρόνον cum vi quadam dixit Euphorionis auctor — profectus res Troianas inde ab Aesaci vaticinatione usque ad Graecorum reditus copiose et

docte narravit Euphorio. cui coniecturae, quam probabilem esse opinor, hoc addam. satis celebre fuit veriloquium Nauaethi fluminis, cuius ad ripas captivae mulieres Troianae naves Graecorum incendio feruntur delevisse (Lyc. 921 c. schol. et Tzetza. Etym. M. 958, 38. Strab. VI 242. schol. Theocr. 4, 24): idem flumen commemoravit in Chiliadibus (fr. 41): καὶ Ψίλιν Ἀσκάνιόν τε ⏑ – ⏑⏑ Ναυαίθοιο. versus quidem mancus est, sed Nauaethi commemoratio eo nos rapit, ut facinus muliebre Euphorioni haud ignotum fuisse statuamus. denique e carminis inscriptione argumentum petere liceat, quo contra Meinekium pugnem Meinekio ipso arma suppeditante. etenim Alexander Aetolus aequalis Lycophronis in Musis haec habet:

υἱὸν Θερσάνδροιο (loquitur de Timotheo), τὸν ἤνεσεν ἀνέρα σίγλων
χρυσείων ἱερὴν δὴ τότε χιλιάδα

quae optime explicavit 'anal. Alex.' p. 228: «χιλιὰς idem fere est quod χιλιετηρίς» atque Asinii Quadrati exemplo firmavit immemor Euphorionis.

Stettini. Georgius Knaack.

ANALECTA MEDICA.

I.

Inter ignotiores scriptores qui de serpentibus egerunt a Plinio Petrichus citatur[1], propterea memorabilis quod velut Nicander amplam illam de serpentibus materiam carmine illustravit.[2] cuius scriptoris aetas adhuc densis tenebris obscurata est[3]: mentio eius bis apud scholiastam Nicandri[4] redit, a quo nihil addiscimus. sed quocumque tempore vixit Petrichus, hoc quidem summa probabilitate suspicari licet eum medicum fuisse: nam omnes scriptores qui idem tractarunt argumentum, quos quidem accuratius noscamus, medicinam professi sunt, velut Apollodorus iologorum dux, Erasistratus, Heraclides Tarentinus, Numenius Dieuchis medici discipulus, Sostratus[5], alii. cui sententiae aliqua fides accedit ex Plinii elenchis, in quibus eum inter medicos relatum legimus.

Iam vero apud Celsum III 9 et apud schol. Il. Λ 624 medici cuiusdam Petronis mentio fit, qui Celso teste ante Herophilum et post Hippocratem id est quarto ante Ch. n. saeculo floruit neque ignobilis fuisse videtur. quid? estne incredibile Petronem et Petri-

---

[1] Plinii nat. hist. XX 258. XXII 83. auctor Plinio I 20—27. [2] Plin. n. h. XXII 83. [3] cf. Nicandrea ed. OSchneider p. 183 adn. [4] cf. schol. Nic. Ther. 557. 628. [5] cf. Aelianus de nat. anim. VI 51. schol. Nic. Ther. 760. 764 cum Celso de med. VII 14. Galeno t. XIV p. 184. XVIII 1 p. 823 K.

chum eundem fuisse? an in eo haerendum est, quod ab aliis Petro, ab aliis Petrichus nominatur? equidem Fickio 'die griechischen personennamen' assentior qui p. XLII et p. 69 utrumque nomen plenioris cuiusdam nominis a stirpe Πετρο derivati hypocoristicum esse contendit.

Eundem medicum a Galeno Petronam[6] appellatum esse colligi potest ex schol. Il. Λ 624 collato cum Galeno XV p. 435 sq. I p. 144 K.:

schol. Hom. B L V Il. Λ 624	Gal. XV p. 435 sq.
καὶ Πέτρων δὲ Αἰγινήτης ἰατρός, ἐπεὶ δι' ἔνδειαν ἐπίπτωcις νόcων γένοιτο (corr. EMaass, libri γράφη), καὶ οἶνον καὶ κρέα προcέφερεν ἀναπληρῶν τὸ λεῖπον τῆς φύcεως.	εἴρηται δὲ καὶ ὑπὸ Ἐραcιcτράτου κατὰ τὸ πρῶτον βιβλίον περὶ πυρετῶν αὐτό τε καὶ ἡ λύcις αὐτοῦ διὰ ταχέων τε καὶ caφῶc ἀκολουθήcαντος αὐτοῦ τῷ Ἱπποκράτει πάντῃ. διελθὼν γὰρ ἐν τῷ προειρημένῳ βιβλίῳ τοὺc ἐναντιωτάταις ἀγωγαῖc ἐπὶ τῶν πυρεττόντων χρωμένουc ἰατροὺc τούc τε μακραῖc ἀcιτίαιc καταπονοῦντας τοὺc κάμνοντας καὶ Πετρωνᾶν τὸν κρέα τε καὶ οἶνον διδόντα ἐπιφέρων φηcὶ κατὰ λέξιν οὕτωc eqs.

ex Homeri scholio Aeginetam fuisse Petronem sequitur; deinde eum ab Erasistrato in libro περὶ πυρετῶν adhibitum esse Galenus docet.

II.

In scholiis Nicandreis doctrina haud mediocri excellunt eae adnotationes quae ad plantarum historiam medicinamque ex eis petitam pertinent. quas unde arcessiverit scholiasta nostra plurimum interest scire: laudantur Diocles ἐν τῷ ῥιζοτομικῷ, Anacreon ἐν τῷ περὶ ῥιζοτομικῆc, Apollas ἐν τῷ περὶ βοτανῶν, Miccio ἐν τῷ περὶ ῥιζοτομικῶν, Crateuas ἐν τῷ ῥιζοτομικῷ. quos omnes scholiastam oculis perlustrasse nemo erit qui contendat: immo haud scio an solum ex eis Crateuam adhibuerit, qui saepius laudatur eique aetate erat proximus. inter adnotationes illas nonnullae cum Dioscoride medico arto vinculo cohaerent eaque sunt indole, ut ad Crateuam redire nequeant; de quarum fonte certiora docebo.

Schol. Nic. Ther. 764 de persea arbore pauca eaque mirabilia excerpsit ex Sostrato et Bolo Mendesio. et argumentum et totius narrationis indoles congruit cum Dioscoride I 187.

---

[6] cf. Galenus XV p. 437. XIII p. 642 K.

schol. Nic.	Diosc.
ὁ κρανοκολάπτης ἐν ταῖς περσείαις ὁρᾶται, ὡς Σώστρατος ἐν τῷ περὶ βλητῶν καὶ δακέτων. τὴν δὲ περσείαν φασίν, ἣν ῥοδακινέαν καλοῦσιν, ἀπὸ Αἰθιοπίας εἰς Αἴγυπτον μεταφυτευθῆναι. Βῶλος[7] δὲ ὁ Δημοκρίτειος ἐν τῷ περὶ συμπαθειῶν καὶ ἀντιπαθειῶν Πέρσας φησὶν ἔχοντας παρ' ἑαυτοῖς θανάσιμον φυτὸν φυτεῦσαι ἐν Αἰγύπτῳ ὡς πολλῶν μελλόντων ἀναιρεθήσεσθαι, τὴν δὲ ἀγαθὴν οὖσαν εἰς τοὐναντίον μεταβαλεῖν ποιῆσαί τε τὸ φυτὸν καρπὸν γλυκύτατον.	περσέα δένδρον ἐστὶν ἐν Αἰγύπτῳ καρπὸν φέρον ἐδώδιμον, εὐστόμαχον· ἐφ' οὗ καὶ τὰ λεγόμενα κρανοκόλαπτα φαλάγγια εὑρίσκεται . . τοῦτο δὲ ἱστόρησάν τινες ἐν Περσίδι ἀναιρετικὸν εἶναι, μετατεθὲν δὲ εἰς Αἴγυπτον ἀλλοιωθῆναι καὶ ἐδώδιμον γενέσθαι.

quem concentum ita explicandum esse puto, ut utraque narratio ab auctore communi pendeat: etenim Dioscoridem, qui semel in scholiis Nicandreis (cf. schol. Ther. 52) laudatur, hoc loco scholiasta in usum suum vocare non potuit, cum auctorum nomina apud Dioscoridem desint. habes igitur scriptorem a Dioscoride Nicandrique scholiasta adhibitum, qui Bolum Mendesium et Sostratum in usum vocavit, deinde post Sostratum id est primo ante Ch. n. saeculo exeunte floruit.[8]

Deinde quae de nasturtio exhibet schol. Nic. Th. 41 admodum similia sunt Dioscoridi II 184:

schol. Nic.	Diosc.
τὸ δὲ κάρδαμον δριμὺ καὶ πληκτικὸν καὶ πυρῶδες· διὸ καὶ λειχῆνας ἀποσμήχει, λέπρας ἐκτρίβει, ἄνθρακας ῥήσσει, ἔμμηνα κατάγει, πρὸς συνουσίαν ἐπείγει, τὸ νεῦρον τῇ θερμότητι κινοῦν· διὰ ταῦτα πάντα χαλεπὴν τοῖς θηρίοις ἐκπνεῖ ἀναθυμίασιν.	κάρδαμον . . θερμαντικόν, δριμύ, κακοστόμαχον, κοιλίαν ταράσσον καὶ ἕλμινθας ἐκτινάσσον, σπλῆνα μειοῦν, ἔμβρυα φθεῖρον, ἔμμηνα κινοῦν, συνουσίαν παρορμῶν . . ἀποσμήχει λέπρας, λειχῆνας . . θυμιαθὲν δὲ ἑρπετὰ διώκει τρίχας τε ῥεούσας ἐπέχει καὶ ἄνθρακας περιρρήττει πυοποιοῦν.

causam cur nasturtium ad complexus venereos incitet, non affert Dioscorides: ergo fieri non potest ut scholium Nicandreum ad eum

[7] Boli narratio bis apud Galenum redit VI p. 617. XII p. 569.
[8] cf. de Sostrati aetate quae in quinta sententia controversa dissertationis meae 'de Istro Callimachio' (Gryph. 1886) significavi.

revocetur. iam vero ex quonam fonte utriusque scriptoris doctrina desumpta sit quaerenti Plinius respondebit, qui XX 129 sq. eadem fere de nasturtio ac Dioscorides tradit:

Plin. XX 129 sq.

Sextius adicit ustum (sc. *semen nasturtii*) *serpentes fugare . . alopecias emendare addito sinapi . . porriginem et ulcera capitis cum adipe anserino. furunculos concoquit cum fermento. carbunculos ad suppurationem perducit et rumpit . . coxendicibus et lumbis cum polenta ex aceto inlinitur, item licheni . . quippe natura eius caustica est. optimum autem Babylonium.*

Diosc.

κάρδαμον κάλλιστον μὲν εἶναι δοκεῖ τὸ ἐν τῇ Βαβυβῶνι· παντὸς δὲ τὸ σπέρμα θερμαντικόν . . θυμιαθὲν δὲ ἕρπετὰ διώκει τρίχας τε ῥεούσας ἐπέχει καὶ ἄνθρακας περιρρήττει πυοποιοῦν· σὺν ὄξοις δὲ καὶ ἀλφίτοις καταπλασθὲν ἰσχιαδικοὺς ὠφελεῖ καὶ οἰδήματα καὶ φλεγμονὰς διαφορεῖ δοθιήνάς τε ἐκπυοῖ σὺν ἄλμῃ καταπλασθέν.

Plinius in enumerandis remediis multus est; Dioscorides etsi multa omisit, tamen in eis quae a Plinio Sextio Nigro auctore proferuntur ita congruit cum Plinio, ut de fonte dubitari nequeat. nolim huc referre quae apud Plinium § 127 et 128 antecedunt: quae unde desumpserit Plinius non licet pro certo affirmare. id quidem certum est Dioscoridis et scholiastae de nasturtio praecepta ex Sextii libro περὶ ὕλης[9] petita esse. en habes scriptorem quem post Sostratum floruisse supra statuimus.

Quodsi recte disputavimus, ad eundem scriptorem omnia quae Dioscoridi et scholiastae communia sunt referre licebit. huc pertinent quae de sulfure explicant schol. Nic. Th. 44 et Diosc. V 123:

schol. Nic.

τὸ δὲ θεῖον καὶ ἄσφαλτος ἅμφω βαρύοδμα καὶ πνευματικά· διὸ καὶ ἔμμηνα ῥηγνύει καὶ κατάρρους ἵστησι καὶ λέπρας καὶ φακοὺς ἐκλεαίνει. τὸ θεῖον ὀρθόπνοιαν διαλύει καὶ ληθαργικοὺς ὑποθυμιώμενον ἀνίησιν. ἡ δὲ ἄσφαλτος ἐπιληπτικοὺς ἐκταράσσει . . οὐ θαυμαστὸν ⟨οὖν⟩, εἰ καὶ τοῖς θηρίοις τοιαῦτα ἐνοχλεῖ.

Diosc.

. . βῆχάς τε καὶ ἐμπύους καὶ ἀσθματικοὺς ὠφελεῖ ἐν ὠῷ λαμβανόμενον καὶ ὑποθυμιώμενον . . καὶ λέπρας, ἔτι δὲ λειχῆνας καὶ ὄνυχας λεπροὺς αἴρει τερεβινθίνῃ μιχθὲν ῥητίνῃ· σὺν ὄξει δὲ καταχριόμενον ποιεῖ μὲν καὶ πρὸς λέπρας, αἴρει δὲ καὶ ἀλφούς· ἰᾶται καὶ σκορπίων πληγάς . . καὶ πρὸς κόρυζαν δὲ καὶ κατάρρουν ποιεῖ . . καὶ ληθαργικοὺς (sc. θεραπεύει) ὑποθυμιώμενον . .

[9] cf. de Sextio Nigro quae Teuffel RLG. § 266, 7 disseruit.

desunt apud Dioscoridem quae de bitumine a scholiasta adnectuntur: ergo Dioscorides scholii fons non fuit.

Porro conferas schol. Nic. Th. 71 cum Diosc. I 134

schol. Nic.	Diosc.
τὸ δὲ ἄγνου βρύα λευκὰ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τέθεικεν, ἐπεὶ ἔστι καὶ μέλας ἄγνος. πολυανθὴς δέ ἐστιν ὁ λύγος τοῦ ἄγνου, ὃν ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ὑπεστρώννυντο αἱ γυναῖκες. ἀντιπράττει γὰρ πρὸς συνουσίαν· διὸ καὶ ἄγνος λέγεται, ἁγονός τις ὤν . . τὸ δὲ σπέρμα τοῦ ἄγνου καὶ πινόμενον ἀπαλλάττει τῶν πυρετῶν καὶ ποιεῖ ἱδρῶτας, ὑδρωπικοῖς τε καὶ σπληνικοῖς βοηθεῖ εἰς κύστιν ἐκκαθαιρομένων τῶν ὑγρῶν . .[10]	ἄγνος ἢ λύγος . . τὸ δ' ἄνθος ἡ μέν τις λευκὸν σὺν τῷ ὑποπορφυρίζοντι, ἡ δὲ πορφυροῦν φέρει . . ὁ δὲ καρπὸς αὐτῆς πινόμενος βοηθεῖ θηριοδήκτοις, σπληνικοῖς, ὑδρωπικοῖς . . ὠνόμασται δὲ ἄγνος διὰ τὸ τὰς ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ἁγνευούσας γυναῖκας εἰς ὑπόστρωμα χρῆσθαι αὐτῇ . .

perinde ac Dioscorides scholiasta duo agni genera distinguit, perinde semen eius lienosis et hydropicis prodesse tradit. quae plura praebet de agni semine febrem solvente sudoremque excitante, ea ex eodem fonte fluxisse Plinius XXIV 59 sq. docet; is enim adeo concinit cum Dioscoride, ut de communi fonte dubitari nequeat: *non multum a salice vitilium usu distat vitex, foliorum quoque adspectu, nisi odore gratior esset. Graeci lygon vocant, alias agnon, quoniam matronae Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes his foliis cubitus sibi sternunt. duo genera eius . . prima album florem mittit cum purpureo, quae et candida vocatur, nigra quae tantum purpureum . . semen potum vini quendam saporem habet et dicitur febres solvere et cum unguantur oleo admixto sudorem facere . . hydropicis et lienibus perquam utiles.* cf. praeterea schol. Nic. Th. 520 et Diosc. III 113, schol. Nic. Th. 60 et Diosc. III 37, schol. Nic. Th. 67 et Diosc. III 40 et Plin. XX 245 sq.

Nicandri igitur scholiasta eodem fonte usus est atque Dioscorides: quem fontem Sextium Nigrum esse ex Plinio necessario consequitur. altioris est indaginis quatenus Sextius a Dioscoride in usum vocatus sit: sed cum de Nicandri scholiasta solum modo agatur, vela contrahenda sunt. at quaestio oritur nova eaque gravissima, cuiusnam commentarii Nicandrei doctrinam scholiasta referat. res si quid video ad probabiles rationes perduci potest. apud schol. Nic. Th. 94 de dauco pauca adnotantur, eadem docet Dioscorides III 76:

---

[10] cf. schol. Il. Λ 105. quae Aelianus de nat. anim. IX 26 de agno narrat ex Sostrato petivit.

schol. Nic.

δύο γένη τῆς βοτάνης, ἡ μὲν Κρητική, ἡ δὲ Ἀσιατική (?). Πλούταρχος πλείονα μέν φησι γένη αὐτῆς εἶναι, τὸ δὲ κοινὸν τῆς δυνάμεως ἰδίωμα δριμὺ καὶ πυρῶδες, ὡς καὶ ἡ γεῦσις αἰσθάνεται καὶ ὄσφρησις καὶ πειρώμενον δῆλον εἶναι. καὶ γὰρ ἔμμηνα κινεῖ σφόδρα καὶ διαλύει στρόφους τῇ θερμότητι καὶ τῶν περὶ τὸν θώρακα σπλάγχνων καθαρτικὸν καὶ προσέτι γε μὴν λεπτυντικὸν ἔχει σθένος.

Diosc.

ὁ δέ τις αὐτῶν . . ἀρωματώδης, δριμὺς καὶ εὐώδης γευομένῳ καὶ πυρώδης . . τὸ δὲ σπέρμα πάντων δύναμιν ἔχει θερμαντικήν· πινόμενον ἐμμήνων . . ἀγωγὸν καὶ στρόφων ἀπαλλακτικόν, βηχῶν χρονίων πραϋντικόν . .

a scholiasta duo dauci genera nominantur, alterum Creticum, alterum Asiaticum (?): contra Plutarchus plura esse genera contendit. idem Plinius refert XXV 110 eodem fonte usus atque Dioscorides: *dauci genera quattuor fecit Petronius Diodotus, quae persequi nihil attinet, cum sint differentiae duae, probatissimi in Creta, mox in Achaia et ubicumque in siccis nati* . . alterum dauci genus non recte a scholiasta Nicandri Asiaticum nominari patet: Ἀχαιϊκή scribendum esse conicio. vides igitur a Plutarcho Petronii Diodoti sententiam relatam esse: ergo Plutarchus eum auctorem adhibuit, apud quem doctrinam et a Plinio XXV 110 sq. et a Dioscoride III 76 servatam repperit. itaque a Plutarcho auctorem illum et Dioscoridi et scholiastae Nicandreo communem adhibitum esse quamvis pro certo nequeat diiudicari, tamen valde probabile est. quid? Plutarchus ille nonne idem est qui a Stephano Byz. s. v. Κορόπη inter Nicandri interpretes enumeratur: οἱ δὲ ὑπομνηματίσαντες αὐτὸν Θέων καὶ Πλούταρχος καὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεύς φασι eqs.

Ergo si recte disputavi, ex Plutarchi commentario Nicandreo adnotationes illas de quibus egimus desumptas esse veri est similimum.

Stettini. Maximilianus Wellmann.

ADDENDA.

fr. Euphorionis 92 quod attuli p. 146 integrum servatum est ap. Etym. Flor. (Miller mélanges p. 76) δεξιτερὴν ὑπερέσχε καὶ ὀχθηρῆς Γερανείης. — ad p. 152. Suidae verba in hunc fere modum transponenda sunt: χρησμοὺς διὰ χιλίων ἐτῶν ἀποτελεσθέντας. G. K.

Dioscoridem et Plinium ex Sextio Nigro doctrinam medicam desumpsisse CMayhoff coniecit nov. lucubr. Plin. (Lips. 1874) p. 7 adn. idem Petronii et Diodoti nomina falso a Plinio ita coniuncta esse intellexit, ut unus scriptor videatur esse. cf. Diosc. praef. libri I. Erot. s. v. νίωπον. M. W.

3 0112 126253597